

cultum neglexissent, indignationem posthac subire cogentur. Sed fabellis hisce fides ab alio non magis, quam ab iisdem ipsis Authoribus, detrahatur; nullum enim illis in antiquitate, nec in genuina aliqua historia fundamentum.

Veram erigendam hujus Aræ ignoto Deo causam docuit facile S. Chrysostomus. Athenienses, qui ceteros omnes superstitione vincebant, ne quem Deum neglectum a se unquam arguerentur, ignotis etiam & incertis divinos honores ferebant. Neque id genti singulare. Incertis Numinibus Aræ Romæ pariter dedicabatur. Invenio plandè ignotis Deis Aras profuturas, sed Attica Idololatria est; item incertis Deis, sed Romana superstitione est, ait Tertullianus contra Marcion. cap. 9. Strabo pariter asseverat lib. 3. pag. 156. Celtas anonymum quoddam, vel sibi incogniti nominis Deum coluisse. In Theologia Paganorum docetur, loca quædam, nemora, & arva ab incognitis Diis habitari.

Quis Deus, incertum est: habitat Deus.

Ovidius post narratam mundi creati historiam, de Deo ejus anthore, tanquam de ignoto quodam Numine, agit Metamor. lib. 1.

Sic ubi dispositam quisquis fuit ille Deorum, Congeriem secuit.

Macrobius Saturn. lib. 3. c. 9. observat, tutelaria Urbium Numina plerumque in occulto manere, ne in obsidionibus invocarentur. Genuinum Urbis Romæ, & Genii illius nomen hodie usque latet. Quare cum obfesse Urbis Numina invocarentur, hæc erat precandi formula: Si Deus, si Dea est, cui Populus Civitasque Carthaginiensis est in tutela &c. Cum terræ aliquis motus contigisset, solebant veteres Romani ferias aliquas indicare (n), litando Numini hujus prodigii auctori. Sed Dei nomen, ita uti solet, cui servari ferias oporteret, statuere, & edicere quiescebant; tum ne alium pro alio nominando falsâ religione populum alligarent; tum quia & qua vi, & per quem Deorum terra tremere, incertum esset.

Sed his ita constitutis, si Atheniensium Deus Numen erat extraneum, incertum, ambiguum, incognitum, cui Populus ille cultum redderet impium & supersticiosum, quæ edicere potuisset Apostolus, ipsum esse Coeli, terræque auctorem Deum vel æternum ejus Filium mundi Servatorem? Si Deum Hebræorum Athenienses norant, cur non aperta religione Aram illi dedicarent, sed inscribere maluerunt: Ignoto Deo? Quomodo tandem nosse poterunt Jesu Christi divinitatem, quam soli tunc venerant ejus Discipuli, negabant verò Judæi?

Invisa erat tunc temporis Judæorum religio apud Paganos; nec sanè conciliandæ illorum Numini apud Athenienses reverentiæ plurimum conferebant ea, quæ de ipso Hebræorum Deo, atque ratione ejus colendi in Templo Jerosolymitano ferebantur, Sparferant enim in vulgus, coli ab ea gente asinum, vel suem, vel caput asini aut hominis, seu nubes & Cælum (o).


Nil præter nubes & Cæli Numen adorant.

Hjæc omnibus reponendum est, nunquam reapse Apostolum voluisse, Deum Cæli sive ejus Filium æternum, qui pro mundi salute hominis exuvias induisset, ab Atheniensibus divinis honoribus cultum demonstrare, sed illud reputasse tantum, ut vagum incertumque eorum cultum determinaret; Deum annuncians, quem ipsi ad id usque temporis ignorassent, dignum aliquem quem unice venerarentur. Deum colitis ignotum; ego vobis annuncio Numen aliud ignotum, & dignum, in quod obsequia omnia vestra & honores transferatis. Cætera omnia, quæ sub generali hac epigraphe Deorum ignotorum, cujuscunque sint nominis, gentis, & regionis, colenda vobis proponitis, neque Dei sibi nomen jure meritoque vindicare possunt, & multum illi singulari veroque Deo concedunt, cui honor & obsequia hominum, tanquam debitum aliquo legal, pendenda sunt.

S. Augustinus contr. Cresc. lib. 1. cap. 29. ne ambigit quidem, Athenienses sub obtentu ignoti Numinis verum Deum coluisse; ponit insuper tanquam certum, ideam aliquam vagam & confusam veri Numinis gentis illius mentibus infudisse; quare eorum cultum comparat cultui, quem Schismatici extra Ecclesiam Deo rependunt. Vollebat igitur Apostolus, ut eandem Deum, quem præter Ecclesiam ignoranter atque inutiliter colebant, in Ecclesia sapienter & salubriter colerent. Sed hæc Augustini comparatio inter cultum Atheniensium & Schismaticorum in eo tantum versari credenda est, quod utriusque gentis cultui nulla esset utilitas. Schismatici enim profeculo Dei, quem colunt, absolutam habent ideam: cum interim Athenienses & verum Deum penitus ignorarent, & referre illi divinos honores ne cogitarent quidem. Metu tantum adducti, ne forte aliquem Deum neglexerent, Aram ignoto Deo excitarunt, ne cogitantes quidem Deum Hebræorum, cujus facile nomen necdum audierant. Apostolus verò familiari sibi sermone figurâ, ex occasione ignoti & incerti Dei, loquendi ansam suscepit, & annunciandi Deum, quem ipsi ignorarent, in quem porrò præstita aliis omnibus obsequia transferenda essent.

o Juven. Sat. 14.

n Gell. l. 2. c. 28.



# DISSERTATIO DE BAPTISMO JESU CHRISTI NOMINE COLLATO.

**B**aptismi conferendi formulam satis aperte Apostolis suis Jesus Christus tradiderat illis Matth. 28. relatis verbis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Hujus Textus evidentiâ persuasi Christiani omnes Interpretes olim, & nunc etiam, semper Baptismum in ea verba administrarunt, atque administrandum docuerunt. Quamvis enim in cæteris ejus Sacramenti ritibus & ceremoniis nonnihil apud diffitas nationes varietur; nomen SS. Triadis ab omnibus idem religiosissime servatum est. Apud Græcos & Orientales omnes, exceptis Cophtis, in hæc verba Sacramentum administrabatur: Baptizetur talis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Cophtæ ita usurpant: Ego te baptizo in nomine Patris, amen. Ego te baptizo in nomine Filii, amen. Ego te baptizo in nomine S. Spiritus, amen. Ritus Jacobiticus Severi Antiocheni habet: Baptizetur talis in nomine Patris, amen: Filii, amen. S. Spiritus amen. In alio Rituali legitur: Ego baptizo talem agnum gregis Jesu Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ad vitam æternam. Hæc solemnnes apud Orientales formulæ (a). In Ecclesia Latina ubique servatum est: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. In vetustis quibusdam Ritualibus legitur (b): Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut habeas vitam æternam. In aliis: Baptizo te credentem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. ut habeas vitam æternam in sacula saculorum. In aliis: Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. unam habentium substantialiam, ut habeas vitam æternam, & partem cum Sanctis. Præterea formulas supersticiosas seu vitiatas, rejectas ab Ecclesia, de quibus nonnihil infra asseremus. Solum hæc immorandum in Baptismo in nomine Jesu Christi tantum collato: cujus occasione duo in examen revocanda sunt. 1. An Sacramenti illius formula unquam obtinuerit. 2. An legitimâ autoritate permessa sit olim, & nunc etiam saltem ad Sacramentum valeat. S. Lucas in Actis non infrequenter me-

minit Baptismi in nomine Jesu Christi: Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum (c). Et alibi (d). In nomine Jesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres. Et alibi etiam [e]. Nondum enim in quemquam illorum venerat, (scilicet Spiritus Sanctus) sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tandem S. Petrus baptizavit Cornelium (f); Et iussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi. Et rursus (g): His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Factum hoc non semel, non per transcursum, non datâ fortè occasione, non ambiguis aquivocantibusque res prodita vocibus. Necluculentius unquam nec apertius promeretur quid præstitum sit à Fidelibus, institutione edoctis, & Baptismo initiatis ab ipsis Apostolis, vel sub eorum oculis; aperte enim asseritur, Baptismo illos in nomine Domini Jesu initiatos fuisse.

Plures ex Patribus, nec rara Concilia, in ea quidem fuerunt persuasione, collatum ab Apostolis Baptisma in nomine Jesu Christi, nullo cæterarum Triadis Personarum nomine expresso. S. Hilarius (h) altè edicit, neque prævaricatione accusandos Apostolos, neque damnandas tamquam sibi ipsis contrarias Scripturas, si semel prodant Apostolos iussos fuisse Baptismate initiare fideles in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. ipsos verò Apostolos Sacramentum ipsum in nomine Jesu Christi conferre satius duxisse. Agnoscat ergo S. Doctor repugnantiam speciem aliquam inter Evangelium & Acta, in eo scilicet, quod Christus aliter conferendum iusserit, aliter verò Apostoli reapse Baptisma contulerint; quam tamen Apostolorum, si ita loqui fas est, transgressionem nequaquam dammandam, neque tanquam sibi minus constantes rejiciendas esse Scripturas defendit.

Vetus Author, qui Baptismi reiterationem adversus S. Cyprianum negat, fufius demonstrandum suscipit (i), eos qui extra Ecclesiam Baptismate in nomine Jesu Christi collato tincti sunt, nequaquam iterato Sacramento, sed impositione tantum manuum, quod Spiritum S. recipiant, in Ecclesiam admitti oportere; arbitratur enim, Baptisma illud conferendo Spiritui S. im-

i To. i. Concil. pag. 770. Post illum qui foris quidem, sed in nomine J. C. Domini-cum acceperunt Baptisma... an iteratum Baptisma his necessarium esset, ac si nunquam baptizati in nomine Jesu Christi forent. Et pag. 173. Nisi quoque in illo superiore tractatu circâ eos, qui tantummodo in nomine Christi Jesu baptizati fuerint, statuas etiam sine Spiritu Sancto posse salvos fieri. Et pag. 775. Nec aliter huic tractatui contrarium esse quod dixit Dominus: Ite, docete gentes; tingite eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Quia cum hoc verum & rectum, & omnibus modis in Ecclesia observandum sit, & observari quoque solitum sit, tam men considerare oportet, quod invocatio nominis Jesu non debet à nobis futilis videri.

a Renaudot tom. 4. Perpetuit. Fidei. l. 2. cap. 5. b Martene de Antiquis Eccle. Ritib. p. 166. c Act. 2. 38. d Act. 8. 12. e Act. 8. 16. f Act. 10. 48. g Act. 19. 5. h De Synodis n. 85. Ne profremò Apolloli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti iussu, tantum in nomine Jesu baptizantur.

par habendum. Demonstrat tandem, illud Jesu Christi in Evangelio: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* nihil repugnare iis, quæ de Baptismo in nomine Jesu Christi collato narrantur. Quanquam enim, ait, Ecclesiæ moribus receptum est ut Sacramentum illud nomen SS. Triadis, præferat; invocatio tamen nominis Jesu Christi non inutilis habenda est, quod sanctissimum illud nomen tantâ pollet virtute miraculorum, ut nec Infidelium ore prolatum vacuum sit prodigiis. Innuare videtur Scriptor ille apud quosdam Hæreticos, Sacramentum Baptismi in nomine tantum Jesu Christi conceptum fuisse, quo semel initiatos recipiendos statuit in Ecclesiam, unâ tantum suppletâ manuum impositione, ad Spiritum Sanctum, quo extra Ecclesiam nemo donatur, conferendum.

Observat S. Ambrosius de Spir. S. lib. 1. cap. 3. num. 41. 42. eos, qui Baptismo tantum Joannis Baptista initiati fuerant, novo iterum Baptismate tingendos, Apostolos edixisse, quippe qui Spiritum S. ne nomine quidem norant. Baptizatos autem, illos dicit in nomine Jesu Christi, quod non secundus erat baptismus post alium Joannis Baptista collatus, sed primus omnino; neque enim baptisma Joannis verum erat baptisma. *Baptizati sunt itaque, ait in nomine Jesu Christi, nec iteratum est in his Baptisma, sed novatum. Unum enim Baptisma. Addit insuper. Plenum est autem ( Baptismatis sacramentum ) si Patrem, & Filium, & Spiritumque Sanctum fatearis. Si unum neget, totum subruet. Et quemadmodum si unum sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum .... plenum erit fidei sacramentum.* Constat igitur, juxta mentem S. Doctoris, Baptisma, sive in nomine totius SS. Trinitatis, sive unius tantum Personæ concipiatur.

Hac S. Ambrosii autoritate utitur Nicolaus I. in responsione ad Consult. Bulgar. c. 104. in Collect. Concil. ad A. 858. demonstrans, eos qui Baptismate initiati sunt extra Ecclesiam, sive in nomine SS. Trinitatis sive Jesu Christi tantum, cum ad Ecclesiam venerint, novo collato Baptismate recipiendos non esse: *Hipotesis si in nomine S. Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actis Apostolorum legimus, baptizati sunt, [ unum quippe idemque est, ut Sanctus exponit Ambrosius ] constat eos non esse denuo baptizandos.* Quæ Pontificis verba duo probant, 1. In eum sensum exponendam esse auctoritatem S. Ambrosii alioqui ambiguam; 2. Pontificiâ sanctione certum est, Baptismum in nomine Jesu Christi collatum ratum assertumque habendum.

Eandem sententiam in eo confirmare visus est S. Ambrosius (k), quod asserto semel Baptismo in nomine tantum Jesu Christi collato, rectâ inde consecutione deducit, ratum etiam haberi oportere Baptismum in nomine S. Spiritus, ac tandem perinde judicandum de Sacramento in nomine alterius cujusque in Trinitate Personæ;

k Ambros. l. 1. de Spiritu Sancto c. 3. num. 44.

Quia, ait, qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Laudat in eam rem illud Act. 1. 5. Vos autem baptizabimini Spiritu S. &c.

Beda Venerabilis in Act. post laudatam S. Ambrosii auctoritatem, hunc illi sensum vindicat; certumque constituit, Baptismum in solo Jesu Christi nomine collatum nihil habere vitii; qua in re subscribere se sententiæ S. Ambrosii testatur.

In eandem sententiam non obscure descendit Concilium Foro-Juliense a. 791. Postquam enim sibi Patres illius Concilii opposuissent: *Cur Magister in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; & Discipuli in nomine tantum Jesu præcipiunt baptizari? Nunquid aliud veritas per semetipsam docuit, & aliud Discipuli Veritatis; vel aliam formam doctrinæ Ecclesiæ tradiderunt?* Respondent deinde: *Assit hoc. Sacramentum Sanctæ Trinitatis, quam Magister & Dominus tribus enumeratis Personis in uno tamen nomine voluit demonstrare; hoc ejusdem veritatis Discipuli in una de Trinitate persona, i. e. Filii, totam sanctamque Trinitatem essentialiter, Sancto sibi revelante Spiritu, intelligere meruerunt.*

Consultus (l) S. Bernardus num retinendus esset Baptismus à Laico quodam ministratus in nomine Dei & vera ac Sancta Crucis; respondet ratum quidem haberi, eadem, quam supra ex S. Ambrosio deduximus, ratione; sub Dei nempe invocati nomine totam ab eo homine comprehensam Trinitatem; sicut & sub appellatione Sanctæ & veræ Crucis totum revelari meritum Passionis Jesu Christi. Legimus, addit, in Actibus Apostolorum non modo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, verum & in nomine Domini Jesu Christi aliquos baptizatos. Quid apertius pro ista sententia?

Concilium Nicaense a. 325. ratum pronunciat Baptismum in hac verba: *Ego te baptizo in nomine Jesu Christi.* Gemina edicit in suis Constitutionibus Synodaliibus Elias Episcopus Utcensis. Favet huic sententiæ Hugo de S. Vigore de Sacram. lib. 1. cap. 13. S. Bernardo coævus; favet Magister Sententiarum [m]. Petrus Pictaviensis lib. 5. Sentent. cap. 5. qui quingentis ab hinc annis scribebat, quaerit an formula illa, *Ego te baptizo in nomine Jesu Christi,* rata tenenda sit. Assumat ille quidem; quamquam enim, ait, legitima & consuetam ministrandi Sacramenti formula illa habetur: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti;* satis tamen superque tres illæ Personæ in uno eodemque Jesu Christi nomine continentur. Pater nempe qui unctionem donat, Filius qui recipit; & Spiritus Sanctus per quem unctio producitur.

Alexander Alenfis part. 4. qu. 13. ad 8. S. Thomæ Magister, atque ipse demum S. Th. 3. par. quæ. 66. art. 6. ministratum ab Apostolis Baptisma in nomine solius J. C. negare quidem non audent; quamquam factum id quidem defendunt dispensatione quadam, in prærogativam nominis J. C. illis temporum circumstantiis necessariam. Joannes de

l Epist. 403. nov. edit. ad Henric. Aurelian.

m In 4. Sent. dist. 3. cap. Sed quod &c.

de Ragasio Ordinis Predicatorum in sua Oratione de Communionem sub utraque specie in Concilio Basileensi observat, præscribi quidem à Magistro Discipulis suis ministrandi Baptismatis formulam in ea verba: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti;* sed veterem istâ ab Apostolis omisâ, ait, alia inventa est, cepto ministrari Baptismate ab Apostolis pauld post Pentecostem sub una nominis Jesu Christi invocatione. Cajetanus Cardinalis (n) & ministratum ab Apostolis Baptismum in nomine singulari è Trinitate Personæ, & ratum habendum esse, si nunc pariter conferretur, defendit. Hæc quidem sententia expanda est in secundâ Operum illius editione Romæ adornatâ; sed in priori ditione legebatur; sicut non obscuris verbis adstruitur in Operibus Adriani VI. Pontificis, Romæ, eo rerum potente, c. 10. Factum id pariter concedunt Baptismum non in frequenti numero, rati Baptismum quidem olim sub una nominis Jesu Christi invocatione ministratum fuisse.

Defendunt verò alii, nunquam nisi sub expressa trium SS. Trinitatis Personarum invocatione Baptismum ab Apostolis ministratum. Frustra verò pro adversâ sententia laudari dicunt verba illa Actuum 2. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi;* sicut & alia supra à nobis relata. Nihil enim illis insinuatum volunt, nisi Baptismum in nomine Jesu Christi institutum, ejus nomine annunciatum, ac tandem ejus auctoritate assertum fuisse; vel, si mavis, initiati jubentur Baptismate fideles, post invocationem nomen Jesu Christi, i. e. post confessionem ejusdem nominis; quod perinde est, ac si prosteri jubentur Jesum Christum Deum esse; qua præviâ confessione, deinde Baptismate abluerentur (p).

Ita reddunt verba Sacræ Scripturæ recentiores plerique Interpretes (q); namque Baptismate initiare in nomine Jesu Christi usurpatum est per oppositionem ad Baptismum Joannis Baptista, sive Pharisæorum. Fateamur tamen oportet, Theophylactum, Dionysium Chartusianum, Hugonem Cardinalem verba illa, *In nomine Jesu Christi,* ad literam interpretari. Ita verò mentem suam explicat Dionysius Chartusianus. Docuerit licet, inquit ille, Jesus Christus Apostolos Baptismum in hæc verba ministrandum: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti;* visum est tamen Apostolis, cæterisque sub ipsis Ecclesiæ crepundis Discipulis, non sine Spiritus Sancti instinctu, aliam baptizandi formulam habere solemnem, in hæc verba conceptam: *Ego te baptizo in nomine Jesu Christi;* quod ab illis eâ præstitum est ratione, ut veneratio & honor sanctissimo nomini apud Gentes magis magisque conciliaretur. Quia in re detrahebatur pristinae Baptismi formulæ; tota enim Trinitas sub una Jesu Christi invocatione celebratur. Paria ferè habet Theophylactus in Acta 2. 38. Hæc, ait, Apostoli Petri verba alteri ex Evangelio auctoritati non

repugnant. Apostolus injungit: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi; & Christus; Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ecclesia enim nullam in Trinitate divisionem agnoscit; quare ministratum sub invocatione nominis Jesu Christi Sacramentum, sub ipsa pariter Sanctissimæ Trinitatis invocatione censendum est; neque enim inter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum divinum est quidquam, & discretum in partes.

Ex hucusque deductis rectâ consecutione statuitur, 1. Actuum Textum, quo ministratum in nomine Jesu Christi Sacramentum habemus, non ita necessariò explicandum esse, quasi sub invocatione nominis Jesu Christi tantum olim constitit Baptismus. Illud enim quod in Scriptura legitur, *In nomine Jesu Christi,* commodè exponi potest de Baptismo à Jesu Christo instituto, ejus præcepto ministrando, ac juxta formulam ab illo præscriptam nempe sub Patris, Filii, & Spiritus Sancti invocatione. 2. Patres, Concilia, Theologi de Schola, & Interpretes supra à nobis laudati, in ea fuisse quidem sententia videntur, collatum reapse in primitiva Ecclesia Sacramentum in nomine Jesu Christi tantum; cum autem in re simus facti, cujus nullum afferunt documentum, nisi textus cujusdam obscuri, & ambigui auctoritatem; cum, inquam, de facto quodam agendum sit, vix alioqui persuadendo, (quis enim credat Discipulos aliter præstitisse in re tanti momenti, quam quod Jesus Christus suis ipse verbis docuerat?) inde facile concipimus falli potuisse Patres, tum in facto ipso asserendo, tum in deducendis, eo semel posito, consecutionibus.

Porro exploratum est, ipso diserte asserente S. Matthæo, Jesum Christum mandatis onerasse Apostolos suos, ut quascumque initiandas susciperent Gentes, illas sub invocatione Patris, Filii, & Spiritus Sancti tingerent (r). Persuasum id moribusque receptum, omnibus pariter saculis, & apud omnes æquè Ecclesias. Certum id statuunt summoque consensu docent Patres, Concilia, Interpretes Scripturæ, Theologi de Schola, quin & ipsi adversæ sententiæ assertores, qui collatum olim Baptisma in nomine Jesu Christi defendunt; id enim sibi defendendum non suscipiunt, nisi semel constituto, tres illas Trinitatis Personas sub una Jesu Christi invocatione censerent. Verum, juxta Patrum, & Conciliorum doctrinam, non satis est tacite & quodam veluti compendio Personas Sanctissimæ Trinitatis innuisse: luculenta, & expressa illarum confessio requirenda est. Quare Baptismus, si fortè unquam sub una Jesu Christi invocatione ministratus est, inanis fuit, & à Sacramento dignitate excidit; quod pariter statuendum esset de Baptismo in eum ritum, si fortè ab aliquo nostrâ hac ætate conferretur; nisi Divinâ aliquâ dispensatione; & peculiari Dei revelantis monio alicui concessum esset, ut à præscripta Sacramenti formula singulari aliqua de causa recederet. Quod enim

r Matth. 28. 19.

n Part. 3. q. 56. ad. 6. Vide, si lubet, Thom. de Argentina l. 4. dist. 3. a. 2.

o An. 1522.

p Vide Harauin. de Bapt. in nomine Christi. q Vide Sanct. ad Act. 2. 38. & ad e. 19. & Cornel. ibidem. Eronoda. Tirin. Vat. Grot. alii.